

INVICTAE MEMORIAE

AMBROSII<sup>9</sup>


MARCHIONIS

SPINOLAE

CARMEN

PAVLI PIRANI

PISAVRENSIS.



ROMAE,

Ex Typographia Francisci Corbelletti. MDCXXX.

---

SVPERIORVM PERMISSV.

**Imprimatur, si videbitur Reuerendis. P. Magistro Sacri Palatij Apost.**

*A. Episc. Bellicastren. Vicefg.*

*Imprimatur.*

**Fr. Raphael Vicecomes Socius Reuerendis. P. F. Nicolai Riccardij Sacri  
Palatij Apostolici Mag. Ord. Præd.**



O C quoque chara tuis respondet  
 cladibus actis,  
 Portenditq. nouas ( Deus ò melio-  
 ra) futuras:  
 Italia: heu miseram! dudum quæ  
 fræna tenebas  
 In populos; populos fati quos or-  
 do maligni

Imperijs decorat nostris, & sustinet ultrò.  
 Seruitio premeris? veteres iam mitte dolores.  
 Spinola Catholicis victor sanctissimus armis  
 Spinola & ille tuæ immortalis gloria gentis,  
 Et pius, & felix: idem pars optima nostri  
 Occubuit. quas Musa Duci persolueret laudes,  
 Quas Italo lacrymas debes? quæ carmina? nonne  
 Digna nouæ stimulant mentem argumenta querelæ?  
 Scis ubi perpetuo confundat murmure gentes,  
 Atque repentina disperdat strage propinquas,  
 Oceanus; cum seua urget violentia venti.  
 Nec timet audacis constructa repagula gentis  
 Nulla iuuant obiecta fero impedimenta; nec ullis  
 Frænatur vinclis rabies effusa, profundi  
 Carceris impatiens: claustris se fundit apertis  
 Inuadens latè populos, Vrbesque, Domosque.  
 Intercepta bouum pereunt armenta, ouiumque  
 Vnde trahit populus vitæ solatia, foetus,

Est ne antiqua Maris natura ; aut poena superbæ  
Gentis , ut in tuta non unquam sede quiescat ?  
Namque alias sine vi ; sine ferro , vsuque laboris  
Mole sua pertæsus humum Neptunus , ad altas ,  
Quas prius obtinuit , damnato errore cauernas  
Sponte redit : varij præbens miracula motus .

Tum noua subductis existunt fluctibus arua .  
Hinc sua damna gemit vilis piscator halecis ,  
Et dolet angusto frænatum margine Pontum :  
Quà nunc pastor oves herbofo gramine pascit .  
Sic mare quam rapuit , mutando , restituit rem :

Hic olim populi vario sub nomine dicti  
Confedere : omnes vno nunc nomine dicti  
Gens Hollandensis . furtis male fida marinis :  
Fama tamen bello validam iactauit inanis .

Dic age Musa feri causas , & tempora belli .  
Quæ laribus deducta suis generosa iuuentus ,  
Quæ manus Ausonidum Regis mandata secutæ  
Maxima , in infaustos traxerunt agmina campos ,  
Heuè quàm rara domum laceris reditura maniplis !  
Pars ferro ; pars igne cadit : pars hausta lacunis  
Ast alios crudelis hyems . quis dicere possit  
Ut pereant , tolerantque homines incommoda belli ?

Vos animæ : quas pulcher honor : quas ardua virtus ,  
Ac pietatis amor longinquos misit in hostes  
Debita seruentur meritis hinc præmia vestris .

Tuque adeò duplicis Regnator Maximus Orbis  
Cuius in amplexu medio , intemerata recumbit

*Aspice ad Ausoniae famulantia pectora pubis ;  
Cui licet auriferi pateant araria Mundi  
Nulla ferent equata bonis stipendia factis .*

*Vel genus humanum studijs fatalibus actum  
In pugnas coijſſe volet ; veſtigia tanti  
Sanguinis ut releget ; memorans mirabitur uſque  
Poſteritas : vel ſæpè tuos Traſymene furores ,  
Aut fera Cannenſis flagraſſe incendia pugnae .*

*Anne ſoli ingenium , cinctumque paludibus : unde  
Viſ hoſtilis abeſt , iam tot deluſa per annos ?  
An populus quàm mente ferox , tam prouidus arte  
Longa uos docuit bellum deducere in annos :  
Spernere Maiorem , munitis Urbibus , hoſtem ,  
Et circumpoſitos iurare in fœdera Reges ?*

*Magna diù conſiſa ſuis Antuerpia Gallis  
Pertulit Hiſpanum dura obſidione prementem .*

*Ipsa etiam , extremo licet oppugnata furore  
Viribus auſa ſuis : aliorum ſtragibus audax  
Traxit in octauum ſuprema pericula menſem .  
Ab feret infelix magnas Arlema ruinas ,  
Nec tamen ambiguo longi cadet omine belli .*

*Iam cunctis excuſſa opibus ; iam victa malignis  
Leyda pendebat fatiſ . Spes omniſ adempta .  
Seu munire nouo tentaret milite muros ,  
Quo conferre manum ; quem ducere poſſet in hoſtem ,  
Seu velles alimenta breuis ſummittere vitæ .  
Nam vigil Hiſpanus caſtellis undique crebris  
Cinxerat ; & victam credit Valdeſius Urbem .*

Vndiquè laxatis campos se immittit habenis;  
Urget in abruptum, scinditque canalibus arua:  
Quem prius obiectis clauserunt molibus altis,  
Hunc modo sollicitant disiectis molibus ultrò.  
Ecce Hispanus aquis subito circumdatur altis,  
Et naues hæere locis, ubi castra fuere:  
Leyda subsidijs seruatur læta receptis.

In rabiem hæc versæ præstant miracula turbæ!

Hæc solitus versare animo; magnisque subindè  
Spinola, consilijs diuinam accendere mentem.

Suspicit Albani facta; & memoranda fatetur.  
Importuna tamen: monitisque incepta sinistris.

Primus ad excidium belli Rechesennius arte  
Intendit summa: pelagum, portusque potiri,  
Sed fortuna bonis rarò fit prospera cæptis.

At tua se magnis equasset vita triumphis,  
Austriadum germen: palmis cumulate decoris  
Cæsare præstanti fulgens genitore Ioannes!  
Arma quidem iam nulla sibi sectanda fuisse  
Sensit & extinctis arceri bella tyrannis,  
Ni festina tuos celerasset gloria Manes.

Ut te conspexit vultu, ac pietate decorum  
Te celebrem fama tantarum munere laudum:  
Sospite quo Magni vicerunt sceptrâ Philippi:  
Maxime Alexander: Farnesi Maxime: summum  
Italiæque decus. Romani culmen honoris.

Fama est: Ambrosium generoso corde volentem  
Auspicijs hæsisse tuis. Te cernere dignum,

Cuius

Clarus ab Ausonia bellator surgeret Vrbe .  
Qualis ubi magni virtus inclusa leonis  
Viderit obiectum præstanti corpore taurum  
Natiuas sentit vires ; seque excitat ultrò .  
Et fremit ille ferox ; & plorat inutile robur .

Tertia flammium obsessam turribus Aestas  
Viderat Ostendam . magno quam robore gentes  
Omnigenæ circum , diuisa per agmina , finem  
Expectant , duri redeat si forte laboris ,  
Namquæ tot una viris , tantisque Ostenda dedisti  
Funera , qui populos Auroræ vincere possent .  
Quippe super tumulos , nautarum sudor , arenæ  
Struxerat exiguas , & parui culminis ædes :  
Nil nisi ut arcerent nocturni frigora cæli ,  
Et caperent parcum torpentia membra soporem .  
Nulli cingebant muri . non arcibus ullis  
Munierant , dum pace licet gaudere secunda .  
Litora sed rumpens immixtis fluctibus æquor  
Fusas stagnarat circum ; quasi tristia bella  
Innuat ; armato complendas milite , terras .  
Inconcussa globis stant propugnacula : at ignes  
Arcet vibratos Neptuni cura propinqui .  
Non alibi tanto arserunt elementa duello :  
Vix alibi in tantos homines arsero furores .  
Sanguineus paruo geritur de puluere ludus .

Quòd tandem populi fuerit vis fracta rebellis ,  
Et furor extinctus : rabies quod seua ferarum  
Cesserit in cæcas ultrò conclusa cauernas :

Quòd

Tempore sperarint Ostendam vincier armis,  
Hoc tua perfecit, Lygurum fortissime, virtus.

Talia pugnaces vexarunt tædia Graios;  
Pergama iuratis postquam tot Numina votis  
Defendunt; furtique volunt rata iura nefandi,  
Vel piget æterno dextram impendisse labori,  
Vel terrent crebris Troiani cædibus acres.

Nam pudor, & virtus & primæ spiritus iræ,  
Ceu nubes terrore minax, at fulminis expers  
Frangitur in sonitum vacuas resoluta per auras,  
Occulti fugere noua formidine mersi  
Ipse minus sperat, totam qui Ductor in arma  
Hellada commouit primus, patriasque Mycenas,  
Ille etiam qui regna suos sociauit in usus,  
Traxit & ultores priuata in vulnera reges:  
Nunc animo voluens incerta pericula Martis  
Despicit uxorem fugiens Menelaus amatam.  
Hæc eadem Nestor tacito sub pectore mussat:  
Conscijs at subito, materna fraude latentem  
Subsidium fessis; acciri iussit Achillem.

Quis neget Ostende fossis dum fideret altis,  
Solaque perpetui iuraret in omina belli:  
Ambrosium strauisse caput? mirabile dictu!  
Se, velut Herois percussus imagine tanti,  
Tum Pater Oceanus medias reuolutus in undas  
Composuit, placidusque suo se proluit alueo.  
O uirtus elementa domans, & fortior undis!  
Ergo operæ insurgunt uario molimine fossas

Terreaque humentes exsiccat massa paludes .  
Iam nulli patuere aditus . quos machina lignis  
Structa catenatis , æstus complexa marinos  
Impedit ; & fluitat medijs immota procellis ,  
Nil Bataui fecere : dolor quos intimus urget  
Præcipites ; ferro , aut coniectis perdere flammis .

At ubi fessa videt , postremos affore casus ,  
Haud multos mansura dies Ostenda ; fatetur  
Insolitam rerum curam ; studioque recentis  
Arma Ducis meliore regi . Tum prona rebelles  
Exiit aspectus , & Regis numen adorat .  
Vrbis quid taciti transimus nomina victæ ?  
Ergo Ostenda tuam , quod toti ostenderit Orbi  
Spinola , virtutem eterno signabitur æuo .

Protinus inde aliæ demissis fascibus vrbes .  
( Nullus quippe vetat pudor ; ut videre cadentem  
Publica quæ magno versabat cardine fata )  
Victorem sensere suum : pronisque subire  
Sceptra parant animis iamdudum excussa Philippi .

Hinc decimo lynchenna die : quam Militis ingens  
Defendit numerus , triplici fortissima vallo .  
Quinetiam auxilijs magis opportuna suorum :  
Nulla , sed Hispanos statio uicina fouebat ,  
Panditur , & Phrysiæ facilis dat iura domandæ .  
Hæc autem Ambrosius ; dum forte rediret ab Aula  
Hispana ; haud dubiè facturum dixerat antiè  
Gallorum Regi . Rex magna pericula mensus ,  
Vel nihil omnino ; dubius uel credidit . ergo

Quam

*Prænsabat fortuna Ducis tunc inclyta nostri .*

*Sed liceat miranda breui consumere versu  
Prælia ; nec tacitis deerit reuerentia factis .*

*Non ego te , duplici quamuis asserta labore ,  
Ambrosij ; nunc Grolla moror , nunc facta rebellis .*

*Tu Rimberga mane , celeri expugnata triumpho :*

*Et patere abduci Bredana ad moenia carmen  
Breda resurgentis faustissima tessera lucis  
Breda salutiferi plausus non ultimus Anni ,  
Ultimaque Ambrosij clarorum meta laborum .*

*Hic ubi conspicuæ clarent miracula famæ ,  
Non hominum numerosa phalanx ; non impetus audax ,  
Nec teres ignitos mittit quæ machina folles ,*

*Aut quæ plumbifero vastabit grandine muros ,*

*Res agit . impavidus stabat spectator ab altis*

*Turribus ; ac magno veluti lapsura pudore*

*Nostri iussa Ducis ; vesano murmure miles*

*Risit ab augurijs pascens sua gaudia fictis .*

*Quippe altos muros videt . & cingentia muros*

*Flumina : & hæc circumstant propugnacula longi*

*Temporis . Hanc Urbem fouit magis omnibus unam :*

*Tradidit , & gnato Ductor Mauritius uni ,*

*Qui iura , & gentis titulos seruaret auitos .*

*Sed poenas Hispanæ dabis , cum frigore campi*

*Horrebunt gelidi ; ac liquefacti examina Cæli*

*Ipsa procellosi obruerint tentoria venti .*

*Infausto rapiere Duci . te fallat inanis*

*Quam iactas miseri tumidus patientia belli .*

Iste tuus magna expugnator Spinola Brææ,  
An solitos anni casus: an Belgica cæli  
Sydera seruauit? patria num callidus arte  
Condixit pretio ventos, hyemisque furores?  
Nec filet auxilio venturas undique gentes.  
Anglus ut eterno Batauis non desit amori:  
Scotus ut addictum seruet mercede laborem  
Germani, queis sacra placent contraria nostris,  
Siue quod Hispanus nulli iam displicet hostis.  
Et tua fulmineis venerunt agmina dextris  
Galle: sed innocuis animis, & Marte benigno  
Bella placent: nec tantus amat stipendia sanguis.  
Hic ego non victas hyemes, non agmina victa,  
Nec quæ multa tulit decimi usque ad tædia mensis  
Ambrosius; tentasse velim describere. Verum  
Quod notum est populis, tenui sub voce lateret  
Occultum. fas est carmen succumbere rebus.  
Hoc tamen Ambrosio clarum dat Breda trophoeum,  
Quod nunc lata suum veneratu rlibera Regem.

Hæc vobis, si magna, Viri, si summa videntur,  
Dicite. quid? doleo. Multo maiora potestis  
Discere iacturis postquam discessit ab ipsis.

Sed iam chara decet nostros inuisere casus,  
Italia. heu quantus menti se se ingerit horror!  
Quassatam te longa trahit fors pessima bellis,  
Te funesta lues infanda strage flagellat:  
Barbarus hinc damnis populatur miles acerbis  
In tua rixantes coniurant viscera reges,  
Nec media grassante abigunt certamina peste.

Quidue

*Quidam Dices memorem non digna sorte peremptos:  
Nullus at hanc nostram tentet contemnere sortem.  
Sint equidem magnæ: sed amici Numinis iræ.*

*Ista tamen quamuis extremis proxima: nondum  
Desferant meliore frui dulcedine fati  
Spinola dum vixit. Causas cognosce futuri  
Certa mali: rerum solus momenta tuarum.  
Ille tulit moriens: armorum plenus honore:  
Quid noua quæsitæ tentare pericula famæ?  
An Batauos olim qui flexerat obluclantes  
Aspera ut in placidam mutarent prælia mentem:  
Magnarum Interpret rerum: qui dona beatæ  
Pacis ad extremum terrarum sparserat Orbem  
Pacis & ille bonum patriæ, Italiæque negarit?  
Hoc vitium est vulgi miserabile! velle repente  
Quod velit. ambiguos nequicquam expendere casus.*

*Tu verò Aethereis (pietas sic suadet, ac ipsa  
Religio sanctos non oblitura labores.  
Sic animi documenta pij: moresque benigni  
Iustitiæque tenax, & amicum pectus honesti)  
Se dibus Aethereis, Cælique recepte serena,  
Qua datur Heroum meritis regione potiri  
Aeternum frueri: & magnis exercita curis  
Pacifero æternum somno Mens viua quiesce.  
Sat Belgis, Italisque datum. Sat Cæsar; & omnis  
Austriadum generosa Cohors tibi Spinola debent.*

F I N I S.

